Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2925
Quelle:
Copyright:

imaginem nobis predicant resurrectionis. Sol cotidie nostris oculis oritur. cotidie resurgit. Stellę matutinis horis occidunt. uespere resurgunt. Arbusta estiuis temporibus plena foliis. floribus. fructibus. quę uidemus. quę hiemis tempore. nuda foliis. floribus ac fructibus. quasi arida remanent. Sed uerno redeunte. cum a radice humor surrexit. suo iterum decore uestiuntur. Cur ergo de hominibus diffiditur. quod fieri in ligno uidetur. Plura dedi, ut Eruditi de hoc *Sermone* videant, quem neque apud *Augustinum*, nec apud alios, quos inspexi, reperi. Argumentatur ille deinceps a reparatione Arboris per Semen, a formatione ipsius hominis, quem *in matris utero sanguinis spumam* vocat &c. et perorat: *Mundemus nos cotidie ab omni inquinamento carnis et spiritus. ut ad illam incorruptibilem resurrectionis gloriam pertinere mereamur. In Christo ihesu domino nostro. qui uiuit et regnat cum patre et spiritu sancto deus per omnia secula seculorum. Amen.*

DCCCVIII.

409 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. nunc 113. 4. luculento charactere exaratus, rubricisque decoratus est *Sacramentarium Gregorianum.* Praeit *Calendarium* duabus columnis, quod tamen aevo, situque mutilatum a medio nunc *Julio* supereſt. In mensibus residuis dies plurimi Sanctorum Nominibus vacant. Diem III. Non. Nov. *Pirminius abbas*, XV. Kal. Dec. *Augustinus episcopus* tenet. Sequitur char. quadr. Titulus: *Incipit Liber Sacramentorum Dei Per Circulum Anni Feliciter.* Hunc excipit *Confessio Sacerdotis*, cujus initium: *Ante conspectum diuine maiestatis tuae reus adsisto. qui inuocare nomen tuum sanctum pręsumo* &c. et deinceps *Missae*, ut in edit. *Muratorii* T. II. *Venet.* 1748. *col.* 7. incipiendo *In Vigilia Natalis Domini* usque ad *Dom.* IV. cui tamen non additur in inscriptione, *Adventus.* Notabo quasdam differentias. Tres Missae in *Nat. Dom.* inscribuntur: *In Primo Gallicinio. Primo Mane. In Die.* In Missa secunda Oratio *Ad Sanctam Anastasiam* postponitur Orationi de Natali. Post diem *Johannis Evang.* plura folia e *Cod.* exciderunt usque ad Festum *S. Agathae.* Post hoc statim inseruntur Missae *Dom.* V. VI. et VII. *post Theophaniam*, quae apud *Murat.* sunt *col.* 160. IV. V. et VI. *Kathedra S. Petri* et *ad Sanctum Benedictum* desunt in *Murat.* In *Annuntiatione S. Marię* deest nobis Oratio: *Deus qui hodierna die* &c. *Feria IV. post Quinquag.* deest *Muratorio Praefatio*, item *Missa Sabbati.* Nobis vero post hanc unum rursus folium deperiit. In *Sabbato XII. Lectionum* nobis desunt Orationes: *Deus qui nos in tantis* &c. et: *Quaesumus omnipotens Deus* &c. *Muratorio* vero *Super populum* Oratio: *Fideles tuos domine* &c. Missa nostra *Fer. V. post Dom. III. Quadr.* alia est a *Muratoriana* usque ad Orat.